

DE FORMATIVIS literis coniugationum &
 futuri simul, ac præteriti formatione.

Quamquam uerborum coniugationem nemo unquam
 citra sudorem aggressus sit, ob tam immensam rei co-
 piam & uarietatem, Tamen (nisi me fallat opinio) nõ
 nihil est quo consulere possumus memoriæ, si non pa-
 rum multa in unum corpus congesserimus, & quo or-
 dine sibi quæq; cohæreant perspicuum reddamus, Ne-
 mo enim negat in discenda cosmographia, multo esse
 conducibilis primo uniuersum orbis ambitum sub o-
 culos ponere, quam uicatim (ut ita dicam) promouen-
 do, ex paludibus, planicie, cliuis & conuallibus tantæ
 machine rationem colligere, Itaque primo typo, &
 quasi per transfennam nostram, amice lector, omnes
 merces ipsas contempleris licebit, Prominent enim ex
 ea omnes græcitatæ cõiugationes, simul cū formatiuis
 literis, præsentis indicatiui, quod recte thema dicimus
 Deinde etiam futuri & præteriti, Vnde facilius mul-
 to fuerit omnia formasse tempora, quam apud Latinos
 uel sola primæ coniugationis præterita nosse atque
 supina, Ad thema redeo, Pulchro profecto ordine β
 quæ prima est ex consonantibus, formatiua dicitur pri-
 mæ coniugationis, atque ei aliæ quædam adiunguntur
 quæ non paruum cū illa habent congnationem, Veluti

d 4 π quæ est

*formatiuis
 primæ con-
 iugationis*

β.

π.